



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

X. Quæ esse possint rationes fundandi relationem prædicamentalem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

Deinde similitudo vnius Paternitatis cum alia nullatenus connectitur essentialiter cum multis aliis similitudinibus, quidquid sit de ea, quæ se tenet ex parte alterius Paternitatis: ergo non est eis actu similis per seipsam: & tamen, si esset, hæc denominatio eiusdem esset rationis cum ea, quam tribuit subiecto, cui inhaeret: huiusmodi ergo identitas, & homogeneitas, ut sic dicam, haud facit, ut sit similis per seipsam ei similitudini, qua excipitur ab alia Paternitate, & qua hæc illi vicem rependit.

130 Tertiò respondent argumento Nominales negata distinctione relationis a fundamento, & termino; & quidem satis manifeste eo admissio principio. Quod tamen nequeat admitti demonstrabitur inferius. Quartò respondent P. Suarez ubi supra relationem prædicamentalem esse sola ratione ratiocinata distinctam a fundamento: quamobrem, cum relatio referatur ad aliam vi alterius, & hæc per alteram, arque ita ulterius sine fine, non sequi processum infinitum modorum realiter distinctorum, sed formalitatum, quæ sint inuicem sola ratione distinctæ: arque has esse innumerabiles, haud esse absurdum. Fateor non esse, quidquid alij obstreperant: illud fateri non possum, quod eiusmodi formalitatum separabilitas a fundamento sit realis, distinctio verò solius rationis ratiocinata: multis enim confutabitur infra hoc principium, cui quidem innititur solutio: quamobrem ea est in præsens reiicienda, & eius loco alia magis verisimilis inuestiganda.

131 Quæ me iudice est, relationem prædicamentalem esse sola ratione distinctam à complexione vtriusque extremi, vnde similitudinem vnius Paternitatis cum alia esse vtramque realiter, & virtualiter quidpiam ab eis diuersum: deinde ac similitudinem esse similem alteri per aliam rationem distinctam ab vtraque, & sic in infinitum: vnde non accidentium realiter distinctorum, ut animaduertebat P. Suarez, infinitam quandam numerositatem sequi; non etiam contra quam sentiebat ille formalitatum, quarum alterutra sit ex vna parte separabilis a fundamento, & ex alia ei adæquate eadem. hoc enim vix, aut ne vix quidem intelligi potest, sed potius eorundem, ex quibus nulla non sit realiter inadæquate distincta à fundamento, & virtualiter solum ab eo, simulque termino: quamquam autem hæc formalitatum infinitas multis sit displicitura; ceterum, & Patri Suarez ubi supra probatur, atque à nobis confirmata est supra lib. 2. huius operis tract. 4. inter agendum de distinctione graduum, & inferius lib. 5. tract. 2. cap. 10. & 11. est iterum ad incudem reuocanda.

132 Alterum diuersæ sententiæ argumentum est, relationem prædicamentalem esse debilissimæ, ac fermè nullius entitatis, adeoque fieri non posse, ut relationem aliam funder, eive præstet fulcimentum. Ceterum hoc argumentum in primis eo peccat, quod relationem prædicamentalem supponat esse modum alicubi receptum, & fundamentum. Deinde esto talis sit; quid inde? nihil profecto, quod sit momenti alicuius, haud enim est tantæ molis superueniens relatio, ut ei sustinendæ, ac fulciendæ opus sit Atlante aliquo; haud est nisi minutissimæ, ac valde exiguæ entitatis, sicuti prior, quam porro refert, ac proinde hæc eius esse poterit fulcrum. Quo facit tempus, locum, & aliud genus parum habere entitatis, & tamen modulis relationum prædicamentaliū haudquaquam succumbere: quidni ergo vna relatio prædicamentalis quantumvis malignæ entitatis aliam queat veluti portare?

133 Postremum contrariæ sententiæ argumentum est huiusmodi: relatio prædicamentalis esse ratio refe-

tendi aliud ad suum terminum: ergo non refertur ipsa: aliud enim est referre, aliud referri; quare, cum illud prius sit proprium relationis, eiusque essentia, non est quod habeat aliquod iuris ad hoc posterius. Nego tamen consequentiam: sicut enim cognitio est ratio cognoscendi, & tamen cognosci potest per aliam, imo per seipsam haud raro; necnon amor est ratio amandi, & tamen amatur multoties per alium, & interdum per seipsam, ita relatio prædicamentalis esse sustinet, & ratio referendi, & simul relata aliorum: quod autem eius essentia sit referre, non tollit, quo minus ei conueniat referri, sin minus essentialiter, at certè accidentaliter, & munere alterius relationis. Occasione huius argumenti Rubius, Vallius, & Tellez quandam moderationem adhibent nostræ sententiæ, aiuntque, relationem formaliter sumptam, ac prout est præcisè relatio non referri prædicamentally ad aliam. Frustra tamen: quandoquidem id non est speciale in relatione, de qua specialis est difficultas, an possit referri ad aliam, sed potius ei commune cum substantia, quantitate, qualitate, actione, & cæteris omnibus, quæ citra dubium referuntur ad aliquid, huiusque prædicamenti denominationem aliquam respectiuam subeunt: nam homo, verbi gratia, ut homo est formaliter, ac præcisè non est Pater, aut Filius, Dominus, aut seruus, nec hos, simileve respectus nisi prædicio alicuius sibi superadditi, ac re, vel ratione distincti vnquam vendicatur. Idipsum cernere est, non solum in substantia, sed etiam in cæteris.

C A P V T X.

Quenam esse possint rationes fundandi relationem prædicamentalem?

134 Superius sæpius dictum est relationes primæ speciei, nimirum similitudinis, & dissimilitudinis, æqualitatis, & inæqualitatis, necnon identitatis cuiusdam, & oppositæ non identitatis ita institutas esse, ut earum ratio fundandi, siue conditio sit conuenientia quædam, aut disconuenientia duorum in qualitate, quantitate, aut substantia, siue quoad alterutram harum trium vnitas aliqua, aut diuersitas. Atque ita censent omnes scholastici, ut superuacaneum sit singularem, ac viritim plures in eius rei confirmationem adducere. Verum enim obijciat: conuenientia duarum rerum (par autem argumentum confici potest in disconuenientia, ac diuersitate) est ipsamet earum relatio: nequit ergo eius esse conditio, siue ratio fundandi: consequentia liquet, nihil enim esse potest sibi præuia conditio, nihil se fundare: antecedens suadetur: tum, quia totum esse conuenientiæ vnius cum cum alio est esse ad aliud, at relatio est cuius totum esse est esse ad aliud: tum etiam, quia nihil aliud est duo quædam conuenire, quam esse similia, æqualia, aut genere, vel specie eadem: eiusmodi ergo conuenientia est similitudo, æqualitas, aut identitas, ac proinde relatio.

135 Respondeo, conuenientiam duarum rerum, aliam esse propriam, ac formalem, aliam impropiam, ac radicalem: prior illa consistit, aut in modo, aut in aliquo actu intellectus extrema inuicem comparante, aut certè, quod verisimilius est, in aliquo prædicato ab eis ratione ratiocinata distincto: posterior verò in extremis ipsis, ut priorem fundant, eique præsupponuntur: prior est relatio, & non eius conditio, aut ratio fundandi: posterior contra non est relatio, sed conditionis, ac rationis fundandi vim obtinet. Ad primam

primam probationem contrariam dicendum est; totum esse eius convenientiam improprie, & radicaliter tantum, adeoque relationem non esse, quippe quæ tota est ad aliud formaliter, & proprie. Ad secundam probationem contrariam dici debet, convenientiam illam, in qua à nobis posita est conditio relationis, siue eius fundanda ratio, haudquaquam esse similitudinem, æqualitatem, aut identitatem formalem, ac propriam, sed fundamentalem, & minus strictam, ac proinde relationem prædicamentalem non esse, nec posse.

136 Rursus supra non semel dictum est, ac velut probabile traditum, unitatem, quæ est ratio fundandi, siue conditio relationum primæ speciei esse unitatem numeralem, rei que non tam convenientiam cum alia, quam eius in se indiuisiōem: Ceterum huic assertioni plerique Doctores refragantur, eosque inter præcipue Ioan. à S. Thoma 2. part. Logicæ q. 17. artic. 3. difficult. 2. ad 1. his verbis: *Iste relationes non dicuntur fundari in unitate, prout unitas dicit indiuisiōem, cum potius relatio diuisa, & distincta extrema requirat, sed in unitate prout dicit convenientiam, & conformitatem, quæ in pluribus subiectis est.* Quod sit primum aduersus nostram sententiam argumentum. Secundum esto: unitas peculiari quodam modo dicitur ratio fundandi relationum primæ speciei, quo non secundæ, aut tertiæ: at si esset unitas numeralis cuiuslibet extremi, eiusque in se indiuisiō, & à suo correlatiuo distinctiō, ea in omnibus relationibus ex æquo locum haberet, nullamque non fundaret velut conditio, cum nulla non deponat extrema singularem unam, & indiuisam, atque distinctam, ac diuisam inuicem: quod argumentum priori est ex diametro oppositum, atque ex principio contrario petitum.

137 Tertium esto: unitas est ratio fundandi longe alia à diuersitate: hæc enim dissimilitudinem, inæqualitatem, & carentiam identitatis genericæ, aut specificæ fundat, illa verò relationes similitudinis, æqualitatis, & identitatis cuiusdam: at si unitas, de qua sermo, foret numeralis, & indiuisiō rei in se neutiquam esset distincta à diuersitate, siue diuisione vnus ab alia, cum per id quævis res sit ab alia diuisa, aut diuisa, quo est in se una, atque indiuisa. Quartum sit, atque postremum: relationes rationis, cuiusmodi est, verbi gratia, identitas rei secum ipsa sunt prædicamentales, primæque speciei: at non fundantur in vno, & vno numerali defectu distinctiōnis inter eorum extrema: unitas ergo numerica haudquaquam est, quæ relationes prædicamentales primæ speciei, aut iuxta aliorum phrasim primi generis fundat, vel instar conditionis infert.

138 Quod tamen velut probabile positum est, haud est improbandum propter hæc argumenta. Ad primum dicendum est, eo solam conuinci unitatem numericam, & strictam vnus extremi cum alio neutiquam esse rationem fundandæ relationis prædicamentalis inter vtrumque: non tamen procedere in unitate numeri: a vtriuslibet extremi secum ipso: de hac tamen posteriori, non de illa priori nos fari. Ad secundum dicendum est, unitatem quidem esse rationem fundandi, & conditionem omnium relationum nulla prorsus exempta: ceterum speciatim assignari relationibus primæ speciei, non ceteris, quoniam aliam conditionem præter illam non postulant, ceteræ vero non sunt illa contentæ, sed ulterius fundantur in potentia, aut actione, aut certe in ratione mensuræ: unitas ergo sola est conditio specialis relationum primæ speciei, at absolute, & sine eo syncategoremate, ac moderatione sumpta quibus-

uis aliis respectibus est communis: nec aliud, quantum opinor, voluere philosophi.

Ad tertium dicendum est, unitatem numericam, siue indiuisiōem rei in se esse quidem realiter diuisionem eius ab alia quauis, siue diuersitatem, at ab illa ratione distingui: atque hoc satis esse, ut altera sit ratio fundandi relationes similitudinis, æqualitatis, & identitatis, altera verò contrarios funder respectus. Pro cuius luce, & intelligentia animaduertendum est, relationem omnem, prout est tota ad aliud, postulare distinctiōnem realem, siue diuersitatem fundamenti à termino, velut conditionem; prout verò est tanquam intervallum quoddam inter duo extrema, quæ refert inuicem, deponere ut illa sint indiuisa in se, & una; extremi enim, siue termini cuiusvis, quatenus talis, est indiuisibilitas, ut certo certius. Cum autem unitas, & distinctiō, siue numerus ad omnes relationes, & non primæ modo speciei, sed secundæ, & tertiæ sint ex æquo necessariæ, & conditionum obtineant rationem, ac vim; quæ tamen est unitatis illius numericæ, & absolute proportionio cum similitudine, æqualitate, & identitate (harum enim quævis est unitas respectiva, & minus propria) quæ item est illius diuersitatis, seu distinctiōnis proportio cum dissimilitudine, inæqualitate, ac non identitate, ut sic dixerim, nulla siquidem harum non est diuersitas aliqua; hinc inquam factum est, ut illa velut conditio, & ratio fundandi speciatim attribui soleat prioribus relationibus tantum, & hæc posterioribus, cum tamen circumscripta ea attributione, ac designatione arbitraria philosophorum vtraque, tum in eis relationibus inuersim sumptis, tum etiam in ceteris omnibus locum habeant. Ad quartum dicendum est iuxta doctrinam capitis primi inter extrema realiter indistincta, & quæ non sunt verè vnum, & vnum haud interesse relationem prædicamentalem, quantumvis ratione nostra referantur inuicem.

140 Quod attinet ad relationes secundæ speciei, cuiusmodi sunt, verbi gratia, Paternitas, & Filiatio, disputari conuenit, quænam earum sit ratio fundandi, siue conditio, an potentia generatiua, vel potius actio præterita? B. Thomas in 3. distinct. 8. quæst. 1. art. 5. Solut. 4. physic. quæst. 2. artic. 2. conclus. 1. ad finem Ioannes à S. Thoma 2. part. Logicæ quæstione 17. articulo tertio, difficult. 3. §. *Nihilominus sententia*, putant actionem præteritam haud esse meram rationem fundandi, & conditionem relationis prædicamentalis, sed potius eius fundamentum, & causam. Arguunt autem primo: quoniam id est causa relationis, eiusque fundamentum, quo posito refultat, & quo deficiente etiam si adint quæcunque alia, nequit resultare: sed huiusmodi est actio generatiua: qui enim gignit, genuitve alium hominem, eo ipso est eius Pater, tametsi adimatur ei postea facultas generandi; contra verò, quantumvis sit potens generare, si nec generat, nec genuit, Patris nomen haud meretur. Secundo sic arguunt: relatio agentis, velut fundamentum supponit actionem præsentem, ea namque est, quæ denominat causam agentem: similiter ergo relatio Patris, siue eius, qui egit, actioni præteritæ velut fundamento innititur, & non velut meræ conditioni, aut rationi fundandi. Tertio denique, quoniam id videtur expressisse Aristoteles 5. metaphysic. capite 15. *Sic enim Pater & Filius Pater dicitur, hoc enim fecit, at illud passum, quid est, &c.* Vbi est expendenda magnopere vocula *enim*, quæ utique denotat, actionem præteritam esse causam, & fundamentum Paternitatis.

Verum

141 Verum hæc sententia cæteris ferme authoribus extrâ scholam Thomisticam displicet, & iure merito: nam non ens nequit esse causa, & fundamentum entis, actio autem præterita est non ens: ecquid enim est, eam præterisse, quam quæ antea fuit, modo non esse? ea ergo nequit esse causa relationis, sed ad summum conditio. Respondent aliqui, causam, quo non existit instanti posse naturaliter operari: quo pacto, inquirunt dispositiones, quæ præcessere in corrupto corpore, haud manent in genito, & tamen ad generationem disponunt; ac verba sacramentorum, postquam sunt prolata ac transacta gratiam causant. Cæterum hæc solutio in physica latissime est confutata, ibique ad exempla luculenter factum est satis: ibidem etiam multa aduersus eam afferuntur testimonia PP. modo vnus sufficiat Anselmus in monolog. cap. 3. *Omne namque quod est, aut per aliquid, aut per nihil sed nihil est per nihil: non enim est, vel cogitari potest, ut sit aliquid per non aliquid*. Deinde tamen res, quæ existit in instanti immediate antecedenti possit modo, cum non existit operari, nescio tamen, an Thomistarum etiam vnus admittat rem quantumvis olim existentem & etiam si diu præterierit posse nihilominus agere quando non existit. Atque licet id auint aduersarij adstruere (quid enim relinquunt inausum adeo manifeste pressi argumento) parum tamen eis proderit: refelli namque poterunt exemplo spatij localis: nulla enim causa in quantis loci distantia potest operari, nulla non ad operandum certam quandam postulat vicinitatem: similiter ergo nulla potest agere in quantalibet distantia temporis, nulla non deposcit destinationem quandam propinquitatem: ac actio quantumvis intemaliter distet, ac sit præterita, sufficit tamen ad denominationem patris quodammodo tribuendam: haud igitur est eius causa: sed mera conditio.

142 Respondent alij cum B. Thoma, & eius cognominis Ioanne locis supracitatis; ab actione præterita relinqui in agente aliquid, *sive sit dispositio, sive habitus, sive aliquid ius, & potestas, vel quid aliud huiusmodi*: Atque reliquias has actionis præteritæ eius nomine esse causam relationis. Contra tamen, quia inintelligibile est, quid illud sit ex actione præterita reliquum? habitus enim, & dispositio, siue, quod iuxta est, facilitas permanens, aut fluxa ad calefaciendum, verbi, gratia, quem potest habere locum in igne, verbi gratia, supposita eius potentia calefactura: potestas etiam eius potestati superaddita ad nihil est utilis, nedum necessaria: ius autem quo iure est admittendum, ubi dominium non vultur? quis enim illud igni, aut alteri creaturæ insensibili, & irrationali assignat, quod si latius sumatur ius, dominiumque, ita est denominatio extrinseca more cæterarum relationum prædicamentaliū: imo talis est, etiam si preesse vsurpetur. Præterea: an non rationi magis congruum est, atque consentaneum, ut ipsum agens nomine actionis præteritæ sit causa, & fundamentum res relationis, quam aliud quidpiam? denique hoc pacto non actionem præteritam esse fundamentum relationis defenditur, sed effectum quandam ab ea relictum, qui præterquam quod sit ad intelligendum satis difficilis, certe est abs re, qua de agimus.

143 Enimvero Ioans à S. Thoma nuper citatus obiicit, causam postquam semel produxit effectum, eo ipso reddi impotentem ex natura rei ad eum iterum producendum si quando contingat illum destrui: huiusmodi autem impotentiam inde tantum oriri posse, quia ex actione præterita relinquitur determinatio aliqua (ut eius verbis utar) *scilicet immutatio, aut ordinatio in causa ad effectum productum, ratione cu-*

ius ordinatur ad illum, ut factum, & non amplius, ut possibilem: Hoc ergo, quod reliquum est, esse posse, ac debere fundamentum, causamque relationis, ut dictum est Paulo supra in solutione principali. Cæterum posterior hæc consequentia nulla est, nec si valeat, ad institutum quicquam conducit, ut nuper visum est: prior etiam consequentia haud est admittenda ut enim causa reddatur proxime impotens, vel potens aliquid producere, non requiritur illam immutari intrinsece de nouo, sed satis est aliquando mutatio quædam extrinseca, ac se tenens ex parte alterius, quo pacto ignis, verbi, gratia, si adhibeatur lignum, est ad eius calefactionem potens, & expeditum, si autem distet, impotens, atque impeditum, cum tamen distantia & indistantia illius haud sit igni omnino intrinseca, sed extrinseca quadantenus. Quid? quod dici possit, eam impotentiam reproducendi effectum semel productum, & postea destructum oriri, non ab intrinseca aliqua causa relationis prædicamentalis, quæ sit actioni præteritæ superstes, & ab ea relictæ, sed potius ab ipso modo prædicamentali quo agens refertur ad effectum. Quid secundo? quod plures cum Scoto eam impotentiam naturalem negent.

Ad primum argumentum contrarium dicendum 144 est, eo tantum probari actionem præteritam esse conditionem relationis, non vero causam & fundamentum: nam vnio corporis, & animæ haud est causa intrinseca hominis, sed eius causalitas, mediante qua partes eam causant, & tamen ea posita resultat homo, & ea deciente, etiam si partes existant, haud propterea existit totum, quod nuncupatur homo. Ad secundum dicendum est actionem etiam præsentem non esse nisi rationem fundandi, siue conditionem relationis: quod enim denominet causam agentem, atque huius denominationis sit causa formalis, parum refert; siquidem ea denominatio neutiquam est relatio prædicamentalis, prout hæc modo sumitur, sed tantum transcendentalis; relatio namque huius prædicamenti ex denominatione agentis resultat, & vel est modus superadditus, vel complexio quædam inuoluens præter eam denominationem ipsum ulterius terminum. Ad tertium dicendum est, voculam enim qua utitur Arist. nobis obiectus non semper causam, sed multoties meram conditionem significare.

Scotus in 4. distinct. 6. quæst. 10. & distinct. 13. 145 quæst. 1. & 5. metaph. cap. 15. eiusque sectatores necnon Soncinas 5. metaph. quæst. 15. ad 2. & alij plures volunt, actionem præteritam esse rationem fundandi, ac meram conditionem relationis prædicamentalis, eius vero fundamentum, & causam esse potentiam generatiuam, eamque proximam. Cæterum ne hæc sententia placet: nam etiam si auferatur ab homine facultas proxima generandi, non ob id desinet esse pater eius, quem genuit, & cuiusmodi coexistit, haud ergo talis potentia est fundamentum, siue, quod inquit est, causa necessaria paternitatis, sed ad summum conditio actionis ritu. Confirmatur idcirco iuxta Scotum, & alios, quibuscum modo est lis, actio nequit esse causa, siue fundamentum relationis, quia remoto fundamento, necesse est etiam remoueri, tollique relationem; sublata autem actione, eaque iam præterita non propterea concidit relatio, sed manet facta, ut aiunt & recte: ast hæc ratio ex æquo procedit in potentia generatiua proxima: hæc ergo non causa, sed solius conditionis prouinciam sustinet comparatione relationis.

Quamobrem cum P. Suarez disp. 47. met. sect. 12. 146 probabilius, ac verius arbitror, tum actionem tum etiam

etiam potentiam productiuam accidentariam, & proximam esse conditionem, siue rationem fundandi relationem prædicamentalem; eius verò causam esse solam potentiam radicalem à substantia rei prorsus indistinctam. Cuius sententiæ probatio, eaque satis locuples, est cæterarum improbatio, necnon auctoritas philosophi, qui verbis suprà obiectis à Soto actionem esse rationem fundandi statuit, ut visum est; antea verò potentia utique proxima meminit eundem in finem, his verbis: *Eorum, quæ secundum potentiam, etiam secundum tempora dicuntur ad aliquid, veluti quod fecit ad id, quod factum est, quod factum est ad id, quod faciendum est, &c.* Vbi autem actio, & potentia proxima conditiones tantum sint relationis, superest sola potentia radicalis, quæ sit eius causa, & fundamentum, præsertim cum in illa rationes nostræ aduersus aliorum sententias nequaquam procedant. Atque hinc obiter colligo, substantiam esse posse, ac debere immediatum relationis fundamentum, etiam si hoc sumatur, non latè uti suprà cap. 9. sed etiam præse, ac rigorosè.

147 Porro etiam circa relationes huius speciei, de quibus in præsentī, illud discutiendum restat, an relatio Paternitatis, verbi gratia, sit eadem præsentē actione generatiua, ac præterita, vel potius diuersa? P. Suarez citata sect. 12. num. 9. Rubius in Logica de prædicamento ad aliquid quaestione 12. num. 272. Balthasar Tellez in metaphys. disp. 42. sectione 5. num. 9. volunt esse eandem: alij apud P. Suarez, ubi suprà esse diuersam. Qui tamen displicent: nam actio est conditio relationis, ut est actio, non vero, ut præterita, siue quoad eius carentiam; hæc enim, etsi nunquam subsequeretur, haud propterea desineret esse relatio Patris; unde æterna, semperque præsens generatio verbi primam personam eius Patrem nihilominus denominat, & constituit: sed actio, ut actio est eadem, siue sit præsens, siue præterita, licet hi eius status differant inuicem: ergo ut conditio est semper eadem, ac proinde eandem fundabit relationem, & non numero diuersam. Rursus idcirco actio, qua quis generat Petrum, verbi gratia, & qua Paulum, fundant diuersas relationes Patris iuxta superius disputata cap. 7. quoniam sunt diuersæ actiones, diuersosque terminos respiciunt: actio præsens, & præterita est eadem omnino, eundemque inuenitur terminum: quidni ergo vnam, & eandem relationem inferant? Præterea, ut verbis P. Suarez, ubi suprà utar, *Quis dicat, Beatissimam virginem in primo instanti, quo Christum concepit, habuisse vnam relationem matris, & immediate post amisisse illam, & acquisisse aliam?* Denique præteritio, & carentia, siue absentia actionis non impedit, quominus ea inferat velut quædam conditio, ac ratio fundandi, nouam relationem iuxta aduersarios: quid est ergo, quapropter illam impediatur à priori conseruanda?

148 Hæc de relationibus primæ, & secundæ speciei: quæ autem sunt tertiæ sortiuntur iuxta omnes, velut conditionem, rationem mensuræ: obiectum enim, scibile, verbi gratia, est mensura perfectionis repperæ in scientia: relationis autem in ea resultantis, quæ potest esse causa, quæ non mera conditio eiusmodi mensura? quandoquidem, etiam si non existat, aut esto existat in quantauis spatij distantia, sufficit tamen ad relationem. Quæ sunt huius decursu capitis disputata; quæ etiam suprà capite 6. multo melius intelligentur, si supponatur relationem prædicamentalem esse accidens quoddam realiter distinctum à termino, ac fundamento, & huic inhærens: quanquam etiam suum habeant intellectum, eumque non malum

tali principio non supposito ut demonstrabitur in tempore.

CAPVT XI.

Terminus relationis prædicamentalis an debeat esse aliquid actu existens?

149 Debere putant B. Thom. 1. part. quaest. 13. art. 7. & quaest. 28. art. 1. ad 2. & 2. contra gentes cap. 12. & quaest. 3. de potentia art. 3. ad 5. Caietanus, & Ferrararius eisdem locis. Capreolus in 1. distinct. 7. quaest. 2. & distinct. 13. & 30. Soncinas 5. metaphys. quaest. 27. & communiter cæteri Thomistæ. Item Scotus in 1. distinct. 31. & cum eo Maïron. & cæteri asseclæ. Ex nostris Suarez disp. 47. sect. 8. Rubius in Log. cap. 7. in prædicam. ad aliquid quaest. 9. Fonseca 5. metaph. cap. 15. quaest. 1. sect. 7. docum. 1. Hurtadus disp. 15. metaphys. sect. 6. §. 2. Vallius in Log. in prædicam. ad aliquid quaest. 6. cap. 6. Balthasar Tellez in metaphys. disp. 62. sectione 6. Cæterum debere negant Gregorius in 1. distinctione 28. quaestione 23. & quidam alij Nominales. Ipse vero distinguendum arbitror, & aliquas relationes prædicamentales cum existentia termini coherere, & alias ab ea absolutas cenſeo.

150 Prior distinctionis pars auctoribus priori loco memoratis placitura, ac fortassis etiam Nominalibus non displicitura, probatur hunc in modum. Coexistere alicui eodem tempore, eive esse propinquum, aut penetratum loci spatio sunt relationes prædicamentales fundatæ, ut superius visum est, in vnitate quodam temporis, ac loci: quod etiam expresse docet P. Suarez 2. metaphys. disp. 48. sect. 1. num. 7. at eæ relationes terminum postulant existentem, ut inuenienti manifestè constabit. Deinde similitudo, & dissimilitudo quoad qualitatem à re simili, aut dissimili distinctam, eique accidentariam fundatur in eo, verbi gratia, quod Petrus absolute sit albus, & Paulus etiam: atqui vtrumque absolute esse album cum existentia vtriusque necessaria ratione coniunctum est, cum hæc prædicatio Petrus est albus falsa sit eo non existente, nec minus hæc Paulus est albus, si non existat: talis igitur relatio terminum actu existentem efflagitat. Quod dictum est de relatione similitudinis, ac dissimilitudinis fundatæ in qualitate realiter distincta, locum habet in æqualitate, necnon in æqualitate quoad quantitatem molis realiter distinctam; aut quantitatem perfectionis etiam, sed tamen contingentem: harum enim quæuis similiter deposcit existentiam termini: id, quod significat Anselmus in Monolog. cap. 13. *Si enim nulla earum rerum vnquam esset, quarum relatione summa, & maior dicitur ipsa* (scilicet natura diuina) *nec summa, nec maior intelligeretur, nec tamen idcirco minus bona esset, aut essentialis sue magnitudinis in aliquo detrimentum patiretur.* Et inferius cap. 24. *Constat namque, quia homini post annum præsentem nascituro, nec maior, nec minor, nec æqualis sim, nec similis.* Præterea ad homines. Esse cognoscentem obiectum aliquod existens est prædicamentalis relatio eius contemplatione, qui cognoscit, licet intuitu cognitionis transcendentalis sit: vtrumque est plurimum aduersariorum. Atqui ea relatio terminum existentem toties expetit, quoties cognitio est essentialiter vera.

151 Suadetur quartò: nam relatio patris, & matris est prædicamentalis: ea verò si valde præse, ac rigorosè sumatur, deposcit existentiam termini: haud enim secundum totum rigorem dicitur pater, aut mater